



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1740. usque ad annum 1742

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1787**

**VD18 90119649**

§. 55. Plures ejusdem summi Pontificis Constitutiones & decreta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67882](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67882)

Sæc. XVIII. „Vobis, Dilecti Filii, peramanter im-  
 A. C. 1742 „pertimur.“

## §. LV.

*Plures ejusdem summi Pontificis Con-  
 stitutiones & decreta.*

Præter memoratas Constitutiones  
 super idem Pontifex plura alia con-  
 didit decreta, quibus præcipue vel Ec-  
 clesiasticam disciplinam conservare, vel  
 irrepentem corruptelas evellere intentus  
 erat; cum igitur adhuc, ut ajunt, in  
 minoribus constitutus compertum ha-  
 buisset, quod vel sub prætextu concessæ  
 dispensationis aut privilegii, vel sub pie-  
 tatis ac religionis obtentu fæminæ &  
 masculi sine discrimine per claustra, se-  
 pta & alia Monasterii loca procedant,  
 supplicationes comitentur, & Virorum  
 monasteria ingrediantur, hinc die ter-  
 tia Januarii Constitutionem edidit, qua  
 innovatis suorum Prædecessorum con-  
 stitutionibus quascunque facultates dispen-  
 sationis quibuslibet concessas abolet, &  
 strictam omnibus Viris religiosis claustra  
 præcipit, quin tamen derogatum  
 velit iis concessionibus, quæ ad favorem  
 nobilium fæminarum, si sunt de fami-  
 lia Fundatorum aut insignium Beneficentium  
 etorum monasterii, impetratæ fuerint,  
 dummodo de hac concessione legitime  
 facta,

facta, ordinariis locorum Antistitibus Sæc. XVIII.  
 fides, & duntaxat ad loca sacra ingressus A. C. 1742.  
 fiat, & de earum adventu Superiores  
 prius moneantur ad hoc, ut sine Reli-  
 giosorum occurſu vel offensione hæ mu-  
 lieres *recto tramite* ad Ecclesiam duci  
 queant. His tamen non otiandi, co-  
 medendi vel per cubicula, cænacula  
 &c. vagandi facultas detur, sed tan-  
 tummodo in Ecclesiæ Oratorio Missis,  
 vel aliis pietatis officiis assistendi copia  
 fiat. Eadem quoque die Pontifex seve-  
 rissime inhibuit, ne Virorum quiscunque  
 Monasteria Virginum ingrediatur, aut  
 ipsæ Moniales e clausura exeant, vel  
 commorentur: insuper hac in re dispen-  
 sandi facultatem adimit, & duntaxat ex-  
 cipit locorum Ordinarios & Superiores,  
 quorum jurisdictioni subjecta sunt Mo-  
 nasteria, in casu tamen unicæ necessi-  
 tatis.

Sub idem ferme tempus Ordinis E-  
 quitum Melitensium magnus Magister  
 Don Emanuel Pinto summo Pontifici  
 exposuit, quod Equites, milites, nau-  
 tæ &c. tempore expeditionum contra  
 Turcas longo tempore & sæpe in solem-  
 nioribus Ecclesiæ festis ob graves caus-  
 as tentorium in terra figere impedian-  
 tur, proin Missæ sacrificium audire ne-  
 queant; hinc illud in ipsis Triremibus  
 P p 3 ce-

Sæc. XVIII.

A. C. 1742

celebrari posse enixe supplicabat. Pontifex igitur piis hisce Magistris votis decima quinta Januarii annuens indulget, ut Missa in triremibus, dum in anchoris hærent, & mare tranquillum, cælumque serenum est, assistente tamen alio Presbytero vel Diacono, qui effusioni Divini sanguinis occurrat, celebrari queat. Id ipsum quoque Benedictus XIV. die vigesima octava Aprilis ad naves Marii Bologneti Pontificiarum Triremium Commissarii Generalis circa triremes Pontificias indulget.

Salaberrima quoque est illius Constitutio, qua die septima Februarii sanctos Ecclesiæ Præsules hortabatur, ut utili ac diligenti Catechesi rudem pueritiam instruant, vel instrui curent in iis, quæ scitu necessaria sunt *medii & præcepti*: Parochorum inper vigilantiam animat, ut juventutem huiusmodi præceptis a teneris diligenter imbuant, eo quod magna officii Pastoralis & gravis obligationis pars in ea vertatur. Requirit etiam adjuvanciam operam Presbyterorum, qui nullam habent beneficium curatum, nec ludimagistrorum, Parentum, pietatisque sodalitarum, aliorumque. Ubi etiam probe observandum, quod Pontifex statuerit, ut si in Civitatibus solenniter

ne festum cum maximo populi concursu in aliis Ecclesiis celebretur, proin-  
 accessus ad Catechesin impediri videatur, Episcopus pro sua prudentia solem-  
 nis diei celebritatem cum doctrina Christiana componere studeat. Quodsi vero  
 regulares & exempti, licet ab Episcopis prius moniti, catechesin impedire  
 voluerint, Pontifex Episcopis auctoritatem suam, qua ipse in exemptos ponitur, pollicitus est.

Die autem vigesima quinta Februarii præcepit, ut Oratores & literarum Apostolicarum Executores cunctas dispensationum matrimonialium causas veraciter exponant, illasque mature examinent.

Inter alia Ordinis FF. Capuccinorum statuta erat illud, quo vetitum, ne Fratrum ullus quocunque pacto alteri nisi sui Ordinis Confessario peccata sua confiteatur, secus ab eo sacramentalem absolutionem licite & valide obtinere nequeat: cum autem longe ac diu a suis absentes non sine scandalo illorum, apud quos interim agebant, a S. Confessione & Eucharistia ob defectum Confessarii ex hoc ordine, vel abstinere, vel cum conscientiae angustiis ad Missæ sacrificium accedere cogentur, hinc Benedictus XIV. Papa die trigesima Martii

Sæc. XVIII.

A. C. 1742

tii prudentissime sancivit, ut omnes, qui quacunque legitima ex caussa a suis Conventibus absunt, si nullum dicti Ordinis Confessarium habent, extraneis & approbato libere, licite & valide confiteri possint.

Cum vero Andreas Valentiae Archiepiscopus datis literis a summo Pontifice decidi peteret, an qui Ecclesiastica auctoritate a jejunio dispensatur non modo cibis vetitis uti, sed iuste prout vespertinae abstinentiæ fines egredi queat? Pontifex die duodecima Mensis respondit, se hanc quæstionem in suis Constitutionibus decidendam non suscepisse, sed id in particularibus casibus relinquisse dispensantium iudicio; velle tamen, ut Episcopi vel eorum Delegati nemini vescendi carnibus, aliisque vetitis cibis veniam tribuant, nisi gravi ex caussa, imperata simul unice quæstionis norma.

Refert insuper Pontifex, quod in arce sua Gandolphi commoratus non sine paterni sui cordis dolore a pauperibus perceperit, quod quidam Agrorum Domini tam ibi quam alibi pauperibus messe finita spicas colligendi copiam denegent, adeo, ut potius illas vendant, vel omnino pecoribus vorandas relinquunt: cum ergo hoc opus misericordie

diæ fundetur oraculis Dei Lev. c. 19. Sæc. XVIII.  
 & Deut. 24. Ruth. c. 2. hinc die vige- A. C. 1742.  
 sima secunda ejusdem Mensis ferio agro-  
 rum Dominos hortabatur, ut pauperes  
 exigua hac ope fraudari non patiantur,  
 sed quod eis detractum, omnino resti-  
 tuant, & ubi hæc consuetudo nondum  
 recepta est, eam inducant, Episcopi  
 vero ad hoc opus misericordiæ Domi-  
 nos inter Missarum solemniam excitent.

Jam dudum evenit, quod grassante  
 infidelium immanitate & schismatico-  
 rum perfidia plurimi ex Græcia, Epiro,  
 Albania, aliisque Asiæ terris in Italiam  
 confugerint, ibique tanquam in tuto  
 fidei pacisque portu domicilium sub Ro-  
 manæ Ecclesiæ obedientia & protectio-  
 ne fixerint. Jam ergo, eo quod Græco  
 ritu uterentur, *Græco-Italis* passim, di-  
 ctis Pontifex suos ritus ac privilegia die  
 vigesima sexta Maji confirmavit, decla-  
 ravitque, quod quidem verba illa *Fi-  
 lioque*, ni scandalum vel hæresis suspicio  
 inde oriatur, suo symbolo addere non  
 teneantur, credere tamen debeant, Spi-  
 ritum Sanctum a Patre & Filio proce-  
 dere, in azymo æque ac in fermento  
 Corpus Christi vere confici, dari pur-  
 gatorium, animas in peccato gravi de-  
 cedentes statim in infernum descendere,  
 Pontificem esse visibile totius Ecclesiæ

Sæc. XVIII. Caput, & ea, quæ Romana Ecclesia  
A. C. 1742. rejicit, vel recipit, esse damnanda vel  
 recipienda.

Insuper declarat, hos Græcos posse  
 uti consueta sua baptismi forma, & un-  
 ctionibus, aqua vel frigida vel calida  
 & more suo benedicta. Prohibentur  
 tamen statim post Baptisma Sacramen-  
 tum Confirmationis impertire, vel in-  
 fantibus Eucharistiam præbere. Pre-  
 scribitur eis, ut proles utroque Parente  
 Græco genita Græco ritu, ex Patre lati-  
 no & Græca Matre nata latino, ex Græ-  
 co & latina latino ritu baptizentur, &  
 infantes ab eo Parocho sint sepelendi,  
 a quo baptizati fuere, post usum Sacra-  
 mentis decedentes sepulturam vel in  
 Græca vel in latina Ecclesia eligere ve-  
 leant: in quo tamen ritu quis baptiza-  
 tus est, in eo vivere & educari debet,  
 nec de ritu Græco ad latinum sine di-  
 spensatione Sedis Apostolicæ transire  
 liceat. Ubi vero Græcus Episcopus Ca-  
 tholicus haberi potest, Sacramentum  
 Confirmationis a latino non administre-  
 tur, a quo etiam cetera olea præter  
 crisma accipere non teneantur, nisi  
 quam tamen ab Episcopo schismatico  
 aut extraneo crisma accipiant. De-  
 claratur quoque unctio non esse sui-  
 ficientem satisfactionem Sacramenti pe-  
 nitentiæ.

nitentiæ, extremam unctionem infirmis vel ab uno vel pluribus Presbyteris administrari posse, dummodo ille, qui ungit, etiam formam proferat. Præscribitur forma absolutionis a Concilio Florentino præscripta: permittitur eis etiam sub utraque specie communicare, dummodo profiteantur, Christum totum sub una etiam specie contineri: non tamen iter agentes Eucharistiam secum deferant, nec species tendant vel exsiccent, nec toto anno asservent. Nec laici latini unquam sub fermentato communicent, quamvis Græci, ubi sui ritus Parochiam non habent, sub specie azymi in Ecclesia latina communicare valeant. Nemo autem ex Græcis ad S. Ordines promoveatur, nisi vel Romæ vel Panormi vel in Calabria in Seminario fuerit literis probe imbutus. Græci vero Episcopi, quorum alter est Romæ, alter in Calabria, in conferendis S. Ordinibus ritum Græcum in eorum Euchologio præscriptum observent. Permittitur quoque Græcis in Calabria & in Sicilia, ut uxores suas post S. Ordines retineant, dummodo eas antea Virgines duxerint. Matrimonium vero post susceptos S. Ordines contractum irritum declaratur, & ita contrahentes excommunicantur. Græcus quoque Presbyter conjugatus, antequam Mis-

sam

Sæc. XVIII.  
A. C. 1742.

fam celebrat, saltem per triduum ab uxore curet abstinere: sique Maritus est latinus, & uxor Græca latine coram Parocho latino contrahat, si est Græcus, potest vel coram Græco vel latino contrahere, assistente eo Parocho loci ac ritus, ubi & quo ritu matrimonium contrahitur. Plura adhuc lectu omnino dignissima Pontifex circa Græcorum subjectionem erga Episcopos latinos circa jejunia, festa, Divina officia, Monachos &c. non minus erudite quam prudenter disposuit, quin tamen per illa illis, quæ Orientalibus Græcis a Sede Apostolica fuere concessa, præjudicium afferre intendat. Inde vero confunditur calumnia eorum, qui Pontifices criminantur, perinde ac si Græcam Ecclesiam contempnant, deprimant, abominentur, & subdolis artibus Græcos ad latinam Ecclesiam ejusque ritus cogere machinentur.

Præterea Pontifex die duodecima Augusti spectacula impura, atque obscænas exercitationes, v. g. ubi pueri, ac sæpe etiam adolescentes nudi cursu in spem bravii contendunt, ac luctantur, severe inhibuit. Sub idem ferme tempus Episcopus Calaguritanus summo Pontifici nomine Philippi Hispaniarum Regis exposuit, quod in Provincia Ipu-

Ipuscoana aliisque novem Diæcesibus præter solitos festos dies alii quam plurimi vel pietatis studio vel alia de causa inveci fuerint, ita ut propterea illis, qui labore manuum panem lucrari coguntur, tempus non sufficiat, hinc Pontifex ad hujus preces prima Septembris die indulgit, ut servatis festis in univèrsa Ecclesia præscriptis in reliquis Missa duntaxat audiatur, & postmodum fervilibus operibus vacetur.

Sæc. XVIII.

A.C. 1742.

Decrevit etiam Pontifex die quarta Octobris, ut in Dalmatiæ Diæcesibus ex Serviano schismate ad veram Ecclesiam reversi vel reversuri non amplius a schismatico Antistite, sed a latino Catholico ritus Græco-Rutheni gnaro, & quidem tunc a Matthæo Auxerensi Episcopo in Ecclesiasticos Ordines cooptarentur: ipsis vero Ruthenis Episcopus Pontifex die vigésima septima Novembris suavit, ut unionem Monachorum sancti Basilii sub unico Proto-Archimandrita promoveant, foveantque. Denique die decima quarta Decembris epistolam encyclicam ad omnes Patriarchas, Primate, Archiepiscopos & Episcopos de concursu, & examine pro Parochiis conferendis & de appellationibus ab irrationabili Ordinarii judicio admittendis vel rejiciendis edidit, quæ  
tamen

Sæc. XVIII. tamen nimis prolixa est, & in Bullario  
A. C. 1742. opportunius reperiri potest.

## §. LVI.

*Apostolica missio in Thibetano Regno  
auctoritate Pontificia instituta.*

*Vid. supra  
tom. 76. pag.  
437-241. &  
seqq. ac Bull.  
Ord. 1. 7. p.  
250.*

Quam uberem Evangelici laboris me-  
sem RR. PP. Capuccini, Viri  
primis Ordinis sui incunabulis usque  
ad hodiernam diem tam regularis ob-  
servantiæ flore, quam propagandæ f-  
dei studio inclyti in utroque Thibet re-  
gno collegerint, quamque præclari-  
tiam hujus plantationis subsidia Car-  
nalis Belluga, maximus hujus Missio-  
nis Mæcenas suppeditavit, jam supra  
prælibavimus: cum autem hoc anno  
eadem Missio ab ipsa Constitutione A-  
postolica firmum robur suum accepit,  
haud abs re fore videtur, rem altius  
repetere.

Thibetum in Tartaria situm in duo  
partitur regna, alterum *Oriente*, al-  
terum magnum seu *Occidentale* vocatur  
Thibetum. Primam Evangelii lucem  
utrique regno illatam fuisse a D. Thoma  
Apostolo, non defunt Scriptores, qui  
affirment; certius tamen est, circa an-  
num Christi millesimum sexcentimum  
vigesimalimum quartum a Jesuitis Religio-  
nem